7

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA,

DE

CANCRO,

Quam

AUSPICE DEO PROPITIO

Et Conſenſu atque Auctoritate Gratioſæ Facultatis Medicæ,

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

PRÆSIDE

DN. D. MICHAELE ALBERTI

SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB. CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO, ETC.

DECANO SUO SPECTATISSIMO,

Domino Patrono, Præceptore ac Promotore ſuo omni honoris cultu proſequendo

PRO LICENTIA

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

HORIS LOCOQUE CONSUETIS

ANNO MDCCXXXI. D. APRIL.

PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICIET

AUCTOR RESPONDENS

CHRISTIANUS WILHELMUS GOSKY,

BEROLSTAD. SILES.

HALÆ MAGDEBVRGICÆ,

TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

SERENISSIMO PRINCIPI

AC

DOMINO,

DN. CAROLO

FRIDERICO,

DUCI WÜRTEMBERGIÆ

ET TECCIÆ, NEC NON OLSNÆ ET BEROLSTADII IN SILESIA,

COMITI MONTISPELIGARDII, DYNASTÆ HEYDENHEIMII, STERNBERGÆ, MEDZIBOHRII, UT ET CASTRI REGII LIBERI AURASIENSIS RELIQVA.

PRINCIPI AC DOMINO SUO CLEMENTISSIMO,

HOC QVALECUNQVE DEVOTÆ PIETATIS SPECIMEN HUMILLIMA OBSERVANTIA OFFERRE DEBUIT

DEVOTISSIMUS SUBJECTISSIMUS SERVUS AUCTOR ET CLIENS HUMILLIMUS

CHRISTIANUS WILHELMUS GOSKY, BEROLSTAD. SILES.

SERENISSIMO PRINCIPI

AC

DOMINO,

DN. CAROLO,

DUCI WÜRTEMBERGIÆ
ET TECCIÆ, NEC NON OLSNÆ
BERLOSTADII ET JULIUSBUR-
GII IN SILESIA,

COMITI MONTISPELIGARDII, DYNA-
STÆ HEYDENHEIMII, STERNBERGÆ, MED-
ZIBOHRII, FESTENBERGII ET
GOSSOSTZSII ETC.

PRINCIPI AC DOMINO
MEO CLEMENTISSIMO,

HOC QVALECUNQUE DEVOTÆ PIETATIS SPECIMEN
INAUGURALE HUMILLIMA OBSERVANTIA CON-
SCRIBIT, DICAT, DEDICAT

DEVOTISSIMUS SUBIECTISSIMUS SERVUS
AUCTOR ET CLIENS

CHRISTIANUS WILHELMUS GOSKY,
BEROLSTAD. SILES.

SERENISSIMI PRINCIPES

DOMINI CLEMENTISSIMI,

Serenitatum VESTRARUM *Anchoram ego jam ſupplex accedo & ut præſens diſſertatio, quam* SERENISSIMIS VESTRIS NOMINIBUS, *ut debui, devotiſſime conſecravi, clementiſſimis vultibus recipiatur rogo. Temeritatem meam fa-*

teor

teor, ſed clementiæ & veniæ exorandæ ſpes eſt, ad V ESTRAM *in Muſas orbi notiſſimam gratiam, quam Patria celebrat, ſupplex confugio & deprecor.* V ESTRA *Celſiſſima Nomina præponere auſus ſum animo hacce Inaugurali diſſertatione officia mea devotiſſima & ſtudia ſubmiſſe offerendi & conſecrandi. Accipite igitur,* SERENISSIMI PRINCIPES, *gratioſa fronte & clementi vultu levidenſe hoc ſcriptum Serenitatibus* V ESTRIS *non ſatis quidem dignum, eximia tamen devotione æternum* V OBIS *conſecratum. Nihil aliud in votis habeo, quam ut cuncta Serenitatibus* V ESTRIS, *fata inter tot triſtiſſima ad votum eant. Servet* VOS *DIVINA MAJESTAS ubique perfectiſſima ſalubritate inſtructos ac coruſcantes, largiatur ſeram & exoptatiſſimam ſenectutem, omniaque adverſa quam longiſſime abeſſe jubeat.* SERENISSIMÆ DOMUS VESTRÆ *ſuper omnia vota vigeant, floreant. Quod ſupereſt,* PRINCIPES SERENISSIMI, *innumeris clementiæ documentis, quibus hucusque Parentem meum beaviſtis, quorum memoria nunquam ſeneſcat, illud ad-*

dere non dedignemini, ut & fructus in me optatiſſimi inde redundent ſic votorum meorum ſummam conſecutus ſum & quod devotiſſimum ſervum & indigenam decet, pro incolumitate V E S T R A *quotidie pias preces effundens perſiſtam*

SERENISSIMÆ CLEMENTIÆ VESTRÆ

Dabam Halæ V. Nonar. Majae
A. R. S. clↄ Iↄ ccxxxı.

devotiſſimus ſubiectiſſimus

C. W. GOSKY.

PROOEMIUM.

NAturane ipſa rerum , vel providentia, ſub qua hujus mundi compages & genus humanum ſtat, morbos quoque & debilitates corporum, quas patiuntur homines, admiſerit? his verbis quæri dignum eſſe putavit *Chryſippus*, gentilis olim Philoſophus in libro ſuo. quem inſcripſit *de Providentia, teſte Aul. Gellio L. VI. C. I.* Et ipſe quoque ſibi reſpondens Ethnicus memoratus exiſtimat: Non fuiſſe hoc principale naturæ conſilium, ut faceret homines morbis obnoxios hocque enim nunquam conveniſſe naturæ

Aucto-

Auctori, Parentique, omnium bonorum ſed per ſequelas quasdam factum eſſe inevitabiles. Sic loquitur lapſum protoplaſtorum ignorans. *Conf. Baile dictionar. ſub Arte Chryſippus lit. T.*

Nos revelatione SS. illuminati morbos & ægritudines effectus eſſe peccati illius primævorum graviſſimi, ex verbo Dei ipſius, animi morbos ſanante, plane convicti ſumus; Hinc evenit ſtatus mortalium ſane deplorandus, ut corporum humanorum conditio, eorum actiones tam vitales, quam naturales, imo & animales ſæpiſſime lædat. Variis hoc modis fieri, proh dolor! quotidie experimur. Horum nunc catalogum longa verborum ſerie enarrare nec inſtituti mei, nec neceſſitatis ratio permittit; præſertim, dum unum ſaltem *Ulcerum* genus tam varias ſub ſe comprehendit ſpecies & concurſus malorum, quæ ſummus rerum humanarum arbiter ex juſtisſimis cauſis huic vel illi accidere permittit, ut multam mortalibus diſſerendi materiam præbeant. Hoc unum dicere ſufficiat: inter varias, quibus cum homo affligitur, ulcera-

cerationes *Cancrum* & *Occultum* & *Apertum* non ultimum tenere locum conſtat. Utcunque veteribus haud ignotum fuiſſe, de illo mentionem faciens teſtatur naturæ ſcrutator ferme primus, ille Medicorum Princeps *Hippocrates Sect. VI. Aphor. XXXVIII.* ubi etiam probare nititur, quod Cancri, præcipue autem occulti, non ſint curandi, curati vero per longius tempus minime durent, ſed ſemper perrumpant, tandemque hoc malo laborantes animam ac vitam miſerrime exhalare teneantur, cui ſententiæ quotidiana experientia optima Magiſtra reſpondet, affirmans, quod ſi tales ulcerationes occultæ non in perruptionem abeant, in hoc ſtatu periculum omnino timendum ſit haud exiguum. De hoc affectu in præſentiarum loco Diſſertationis Inauguralis nonnulla, licet breviſſimis, ſequentibus pagellis exponere placuit. Id circo ſummum in Cœlis Numen ſubnixe rogatum cupio, ut gratia ſua mihi adſit ex alto, quo omnia vergant in ſui gloriam & ægrotantium ſalutem!

§. I.

AFfectus quem hac Diſſertatione paululum explicare ſuſcepi, remotis omnibus ambagibus etymologicis *Cancri* nomine latinis venit. Græcis καρκίνωμα idem eſt aut καρκίνος & verbo νέμω derivatum: unde facile apparet a ſimilitudine ſuam habere denominationem, quia figuram Cancri repræſentat, & in circuitu ſuo ut Cancer verus ſeſe expandit, ſiquidem vaſa ſanguifera, quæ circa illum reperiuntur, craſſo ſanguine ita turgida ac gravata ſunt, ut Cancri veluti veri pedibus protenſis conſpicui forma videatur.

§. II.

Eſt vero Cancer corruptio ulceroſa ex coagulato humore aut lacteo aut lymphatico orta, materiam corruptam atque corroſivam ſalſam præbens in glanduloſa mammarum ſubſtantia obhæreſcens & oberrans, malo colore, tumore, ac fœtore maxime horrido, ſeſe exſerens. Hinc veteres & poſt illos *Fabricius Hildanus* aliique viri præſtantiſſimi ob malitiam, venenoſum illum appellarunt. Speciem vero veneni duplicem ipſi ſtatuerunt, nempe *corroſivam* & *putridam. Conf. Heurnius ad Hippocrat. L. VI. Aph. 38.*

§. III.

Si mihi animus eſſet, Hiſtoriam hujus Affectus fuſius pertractare, multa in medium proferri poſſent. Sufficiat autem circumſtantias principaliores ex indole corruptionis fluentes & ad uſum Medicum ſpe-

ctan-

ctantes ita recenſere, ut LOCUM, CAUSAS, SIGNA, & CURATIONIS MODUM paucis explanem.

§. IV.

Sedem cancri quod primum ſpectat, illam partes molliores glanduloſas conſtituere liquido conſtat, præſertim quæ liquorem contentum facilius in ſtagnationem abire permittunt, vel ratione loci ſtagnare plus cogunt, ut ſunt v. g. os, oculi, nares, collum, facies, uterus, pudenda, & anus, præcipue vero mulierum mammas Cancrum frequentiſſime occupare, certum eſt. Cauſa inde eluceſcit, quando nempe mulieres in puerperio viventes, inque hoc ſtatu lactantes in diæta valde negligentes ſunt, & ſine habita ratione ad conditionem ſuam, omnia ciborum genera, qualiacunque in buccam quaſi veniunt, mala exinde conſequentia haud reſpicientes, ingurgitant. Ex hoc enim ciborum inconvenientium uſu lactis in mammis corruptio deinceps provenit, quæ tali ulcerationi, quæ Cancer ſtricte ſic dictus appellatur, originem præbet.

§. V.

Non tamen ſemper hæc tanquam radix malignæ ulcerationis valet, ſiquidem & aliæ numerantur cauſæ, quæ hocce ulcus, de quo mihi in præſenti ſermo, efficiunt. Sunt vero vel externæ, vel internæ. Ad illas referuntur merito verberationes, compreſſiones, contuſiones, ſeu manu & digitis, ſeu arctiori amictu, ſeu baculo, ſeu alio inſtrumento cum violentia commiſſæ, unde majores partis relaxatio-

 nes

nes & enervationes proinde ſtagnationes humorum indeque ſucceſſivæ corruptiones horum in eadem parte plerumque conſequi ſolent, ut irritationes alias varias in & externas, motu, animi pathematibus, calore, adverſis remediis conciliatas, ſimiliaque offendicula haud nominem.

§. VI.

Inter has (cauſas nimirum internas) locum merito tenent, humorum impuritas, ac ſpiſſitudo ſcorbutus, ſtatus melancholicus, ubi ſuccus in glandulis coagulatus, ſpiſſusque eſt. Imo & venerea aliquando inquinatio aliaque conjuncta corporis reliqui ſcabioſa & propinqua leproſa; ulcera antiqua & ſordida; Hiſce cauſis annumeranda eſt ira fœminarum adhuc lactantium vehemens ut & terror. Hinc veteres cauſis hujus ulceris bilem atram addiderunt. Recentiores vero tanquam fermentum acre acidum concentratum & corroſivum explicare ſatagunt. Præterea dictis haud immerito annumeratur, Menſium & Lochiorum retentio, aliquando plane ſterilitas, cœlibatus, ſenſibilis partium refrigeratio aliaque.

§. VII.

Acrimoniam corroſivam gradu differre notum eſt, quæ nunc mitior, alibi gravior, cui accedit, dignitas partis, glandularum ſtatus, & numerus, atque conſtitutio, quibus collectis malignitas non ſemper una eademque eſt. Mitior dicitur, cum Cancer externe magis, quam interne ſe exerit ulceratione; Gravior vero & quidem peſſimus & a curatio-

ratione longe remotus deprehenditur; cum partes intimius & profundius a materia putrida, quæ acris & corroſiva eſt arripiuntur, neque corruptio ſuo gradu oculis noſtris ſe ſiſtit; & aliquando extrinſecus partes non valde mutatæ comparent.

§. VIII.

Hæc etiam noſtra adhuc ætate (ſi ſuis continetur involucris, nomine Cancri Occulti, inſignitur) Materia eſt vel livida vel ex rubro nigricans. Tumor quidem occurrit aſpectu inæqualis, protuberans, venæ in ambitu utplurimum turgidæ, & ſi paulo immodeſtius pars tangatur, dolor urget acutus & eximius, ita ut attactum precibus avertere ſoleant, unde etiam illud notum: Noli me tangere originem trahere fere videri poſſet. Dolores autem non ſunt continui, ſed certo interdum tempore leniores, mox vero per paroxyſmos quaſi, multiplicibus novis inſultibus cruciant patientes. Ab actuali ulceratione talis Cancer quamdiu in hoc ſtatu manet occultus, adhuc alienus ac in nudo tumido infarctu conſiſtere videtur, ſiquidem per longum temporis ſpatium durare, imo homines hoc malo affectos per plures annos vitam agere, quotidiana teſtatur experientia. Quando autem ulcus irritatur, tunc ad actualem & extrinſecus ſe manifeſtantem ulcerationem perrumpit & aperti deinceps nomine venit tanquam occulti ſoboles. Uterque tamen apertus atque occultus præcipue ſe exſerit, frequenter ardens modo, modo graviſſime pungens, ſive lancinans.

§. IX.

Nunc ad Signa Cancri recenſenda transeundum, quamvis in præcedentibus aliqua illorum commemoraverim; ubi generatim notandum, quod occultus variis phœnomenis in loco affecto, ex effectu rite cognitis, accedente calore, rubore, dolore, &c. facile judicari poſſit. Cumque hæc omnia præceſſerint ulceratus ex denudatione & ſeceſſione male colorati, olidi ac acris ichoris, transſudando facta optime cognoſcitur: ſpeciatim vero hæ circumſtantiæ non contemnendæ ſeſe ita ſiſtunt. Cum nempe Cancer mammam, vel aliam corporis partem detinet, & jamjam ad ulcerationem pervenit, in ambitu ulceris non modo ſingularis durities & nodoſa veluti ſcirrhoſitas partium glanduloſarum mature ſubſequitur, ſed etiam labia ulceris turgide inflata & veluti occalleſcentia evadunt, modo livido colore & quidem communiſſime roſeo quaſi rutulante conſpicua ſunt, quod ultimum haud raro occurrit, cum tali laxitate viciniæ, ut per levem attactum, cuticula ſtatim abradi & abſtergi poſſit & ſubſtantia ipſius cutis ſubſtrata ac emollitæ texturæ appareat, ſub qua humiditatis copia magna latet, & multi ſinus ſive cavitates circa partem læſam reperiuntur, per quos materia ichoroſa emanat.

§. X.

Si hæc materia paulo craſſioris conſiſtentiæ eſt, color exiſtit fulvus, odor graveolentius. Si vero tenuior & fluidior in corroſivam plerumq; abit qualitatem, ut etiam linteola imbuta corrodat & friabilia fere red-

reddat. Ipſa ſana cutis a materia cauſtica corroditur. Fœtor, quem hoc ulcus exhalat, valde adverſus eſt,& carnem ipſam,utpote muria,deliquatam ſiſtit, ut in aceto veluti computrefacta videatur.

§. XI.

Huic diagnoſi brevem prognoſin adnectere licebit: Hunc affectum per ſe non lethalem, minime tamen ſalutarem eſſe, nemo facile, opinor, dubitat, cum quotidie experimur, illo affectos, doloribus certe horribilibus imo maximis divexari. Cum autem ulcus cancroſum inveteratum ad ſummum pervenit, materia corrupta, corroſiva, non ſolum partis affectæ carnem corrodit, ſed etiam coſtas & oſſa malignitate ſua penetrat, imo ipſam cavitatem thoracis, per intercoſtales muſculos intrat, inque illam corruptelam ſuam propagat & diſſeminat, hisque circumſtantiis nullus curationis modus, relictus eſt, ſed patientes nunc deliroſi & lipothymici redduntur, nunc vigiliis aliisque ſymptomatibus fatigantur, tunc mors ultima linea rerum finem vitæ miſeræ per divinam providentiam facit. Hinc & hoc loco illud Poetæ valet.

Principiis obſta,
Tunc ſero Medicina paratur.

§. XII.

Spem aliquam curationis promittit Cancer recens, incipiens in ſubjectis junioribus adhuc occultus, qui tamen melius absque ſuſpecta curatione ſibi relinquitur, *Signa quoque bona* ſunt, quando tumor ſenſim minuitur, ac ſymptomata patientes relinquunt.

quunt. Indeque omnia ad ſtatum naturalem redeunt. *Malum* vero ſignum eſt ſi Cancer ad perruptionem pervenit. Et in ſtatum valde corruptum ſive confuſum abiit. *Peſſimus* & utplurimum incurabilis eſt Cancer in partibus interioribus, faucibus, nempe, vagina uteri, ipſo utero, ano, præſertim in intimioribus mammarum, longe late & profunde ſerpens cum ingenti dolore, ardore, fœtore, vigiliis, hectica, hæmorrhagiis, convulſionibus & lipothymiis gravioribus.

§. XIII.

Jam ipſa curatio ſequitur & indicationes recenſendæ erunt, ſecundum quas illa cura inſtitui debet & quidem primo Cancri occulti ratio habenda: ubi in genere notandum, quod medicamentis raro perfecte curetur, ſed ſæpius illis magis augeatur, & irritetur, de qua materia ipſe *Hippocrat. in libro VI. Aphor. XXX.* loquitur: (quibus Cancri occulti fiunt, illos non curare melius eſt, curati enim cito pereunt: Non curati vero longius tempus perdurant) diſtinguit quoque methodum curationis, & abſtinendum eſſe monet ab irritantibus remediis, ſed magis arbitratur, utendum mitigantibus, emollientibus. Et recte quidem utrobique judicaſſe videtur, medicæ ſcientiæ peritiſſimis viris noſtri ſeculi.

§. XIV.

Certum enim eſt, quam quod certiſſimum ſi Cancer in hoc ſtatu maneat occultus, tunc diſſuadenda remedia incongrua præc. valde irritantia qualia ſunt valde relaxantia, emollientia, mucilaginoſa,

pin-

pinguia, maturantia, affluxum humorum excitantia, acria, attrahentia, corroſiva, gummatoſa, concentrata & oleoſa; item remedia refrigerantia valde repellentia & illa quæ turbant excretiones; huc pertinet etiam diæta perverſa, & uſus remediorum mercurialium corroſivorum, quæ multum contribuunt ad citiorem apertionem Cancri occulti, de quibus remediis in proverbio dicere ſolemus (manum de tabula).

§. XV.

Cura poſitiva autem requirit, ut corpus prius præparetur, econtrario autem ſedulo cavendum, ne per cauſas internas corpus denuo offendatur, & malum exinde magis irritetur; venæſectiones enim ſi plethora urgens eſt, conducunt, præcipue autem in pede, ut ſanguis a parte dolente retrahatur. Præterea haud parum opis ferunt, ad pharmaciam quod attinet, primas vias ab impuritatibus craſſioribus bilioſis, & aceſcentibus purificantia, ut ſunt abſtergentia & laxantia, it. ad lenem diaphoreſin promoventia, hinc egregiam utilitatem afferunt infuſa reſolventia leniter diuretica & laxantia ex rhabarbarinis, fibr. Hellebori nigr. polypod. fol. ſennæ &c. Bilem vero ſubtilem cauſticam abſorbendi non infimum locum obtinent abſorbentia & Magiſteria illorum, ut conchæ CC. ſ. igne corall. rubr. ppt. it. Magiſt. C. C. it. mater perl. cum tantillo nitri permixta; cum interpoſitis eſſ. ſucc. temperatis alexipharmacis, diureticis abſtergentibus digeſtivis, terreis, cum acidis ſaturatis, remediis, conjuncto placido regimine diaphoretico.

 §. XVI.

§. XVI.

Quod curam poſitivam chirurgicam concernit in tractatione Cancri occulti, maxima circumſpectio & temperantia obſervanda eſt; Cura vero hujus affectus chirurgica duplex. Primo ſi Cancer præcipue in ſuperficie mammæ exiſtat, tunc fruſtranea & non niſi cum periculo conſueta manualis operatio ſuſcipitur, ſi vero habita ad circumſtantias ratione diſſectionem tentaverit artifiex, tunc applicanda ſunt remedia balſamica & uſus ſpiritus vini rectificatiſſimi, ut hæmorrhagiæ ſupervenientes coerceantur, mundificatio autem, ut & conſolidatio promoveatur.

§. XVII.

Quando Cancer profundius hæret, non adhibenda ſunt alia remedia, quam externe diſcutientia, reſolventia, & moderate roborantia. v.g. ſpirituoſa camphorata & crocata interne cinnabarina, proinde empl. ſaturnina; tale emplaſt. eſſe poteſt Emplaſtr. ſaturn. mynſichti it. diapomp. & opodeldoch. cum oleo ſaturnini malaxatum impoſita lamina plumbea, vel mercurio vivo illito. Spirituoſa eſſe poſſunt ſpiritus theriacal. ammomaci item eſſ. myrrhæ & camphor. cum linteis applicanda it. aqua calcis vivæ, ut etiam ſolum Calx ſaturni in aqua ſolani ſoluta usque ad ſaturationem applicanda erit de eradicatione hujus Cancri. vid. *Aquapendent.* & *Nukium in Experiment* & quidem in *Experimento decimo.*

§. XVIII.

Ordo me nunc ducit ad Cancrum ſic dictum apertum, ſive exulceratum, cujus cura non præcipitanda aut præmature finienda, ſed ita dirigenda eſt, ne quædam illum offendant; cavendum propterea ab uſu remediorum valde ſepticorum & corroſivorum fortiorum & quidem quo magis dolor, rubor & tumor ulcus comitatur, ſimul quoque abſtinendum eſt a valde acribus oleis deſtillatis, ut & a *Balſamo Sulphurato* affluxum humorum immoderatum

tum & commotionem inflammationis valde excitante, itidem cavere oportet, ne ſic dicta rancefcentia & pinguia oleoſa adhibeantur.

§. XIX.

Contra vero multum ſolatii hoc affectu laborantibus attuliſſe, experientia teſtatum reddere poſſumus ex uſu remediorum abſtergentium & mundificantium chirurgicorum, it affluxum humorum avertentium ut ſunt Eſſentiæ balſamicæ ex myrrha, ſuccino & Gummi Elemi paratæ, ubi tamen bene notandum occurrit, ne myrrhata remedia commendentur, quando Cancer cum inflammatione, dolore, rubore & ardore conjunctus eſt. Plurimum quoque conferre poſſunt tanquam lavamenta ulceris aqua calcis vivæ ſpir. theriacal. cum merc. dulc. alumine uſto, & Magiſterio Saturni; Talia enim remedia vel Cancrum abſtergere, purificare & conſolidare adjuvant, vel ad minimum impediunt, quo minus latius ſerpere queat.

§. XX.

Quando in affecta parte ſuperficialis quædam inquinatio adeſt & partes corruptæ adhuc reliquis paulo firmius adhærent, tunc convenit adhibere apta ſeptica, non vero valde corroſiva, ſed temperata & ſelecta, quæ etiam non nimis diu applicanda ſunt, ſed cum prædictis balſamicis mundificantibus alternanda, ſi autem ſub uſu ſepticorum hæmorrhagiæ ſupervenerint, tunc ſpir. vini rectificatisſimus adhiberi poteſt.

§. XXI.

Affluxus vero cohibitio per ſola adſtringentia appoſita, nunquam ſecure adminiſtrabitur. Per diſcutientia intenditur quidem, ſed non perficitur; ſolis vero internis purgantibus, diaphoreticis & diureticis adjuvari poteſt.

§. XXII.

Quod ſi aliquando contigerit, ut corruptela illa curatione præcedente minime ſit tollenda, tunc ſupereſt

 adhuc

adhuc illa operatio chirurgica, nimirum afflictæ mammæ actualis & totalis exciſio aut extirpatio, ubi cum transfixa acu & connexo ligamento mamma quantiſper attollitur, quo commode a muſculis pectoris ſeparari queat, facta hac diſſectione fluxus ſanguinis coercendus eſt vel per ſpiritum vini rectificatiſſimum, vel per actuale cauterium, quod quidem hodierni chirurgi metuunt, & magis uſum pulverum ſtipticorum ſubſtituunt.

§. XXIII.

Et quo tota hæc cura efficaciter ſuccedat, diæteticus fons ſuadet omnino convenientem ordinem in regimine & victu ac potu præſcribere, præc. quo animus ab inſolitis & immoderatis patheticis commotionibus liberetur ac præſervetur: aër non ſit turbidus, humidus & nebuloſus, quin potius magis temperatum ac placidum regimen obſervetur, cibi ſint temperati, puri, molles, liquidi, modice aromatiſati, minime vero ſpiſſi, fœculenti valde ſaliti &c. Præcipue nocent pingues facile ranceſcentes ſubſtantiæ, hinc caro ſuilla & vervecina ulcerationibus omnibus intricatis qualificatis incommoda eſt. Præſtat vero abſtinentia a fermenteſcentibus & aceſcentibus alimentis & potulentis; potus adhibeatur ſufficiens interdum modice vinoſus, ubique dilutus: conducunt loco cereviſiæ decocta temperatos ac fluidos humores præbentia. Tandem omnia diætetica proſunt, quæ ad repurgationem humorum & evacuationum neceſſariarum promotionem conferunt. Et hæc pauca fundamenti ac ſpeciminis loco ſufficiant, quæ præſenti Themate ſuccincta quadam commendatione & deductione explicare volui, plura quidem addenda fuiſſent, ſed placuit brevitatem obſervare. DEO Ter Optimo Maximo humillimas gratiarum actiones tribuentes, quod ſua bonitate in hoc labore perficiendo nobis adeſſe voluerit, quem devotiſſimis etiam contendimus precibus, ut ſua benedictione eundem proſequatur.

(o)